Dissertatio medica inauguralis, de rheumatismo acuto / [Robertus Mackewn Haig].

Contributors

Haig, Robertus Mackewn, -1819.
University of Edinburgh.

Publication/Creation

Edinburgi : Alex. Smellie, 1798.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/be4wc72r

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

T. 934. 7

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti:

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

ROBERTUS MACKEWN HAIG,

CAROLINIENSIS AUSTRALIS:

Societ. Reg. Phys. Soc. Honor.

nec non

Societ. Americ. Phys. olim Soc.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO,

APUD ALEX. SMELLIE.

M,DCC,XCVIII.

322291

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

Tutoribus meis fideliſſimis,

JOANNI JACOBO HAIG,

ROBERTO MILES,

JOANNI BLAKE,

ARMIGERIS,

ET

GULIELMO WASHINGTON,

Legionum Americanarum

Praefecto,

Benigni patris vice fide intemeratâ mihi perfunctis,

Animo gratiſſimo,

Item

JACOBO HAIG, ARMIGERO,

Cujus amicitia et hoſpitium, quo me literarum et Medicinae ſtudio Edinburgi incumbentem apud ſe liberaliter excepit, perennem mihi voluptatis fontem praebebunt,

NEC NON

Chirurgo illi peritiſſimo

FORREST DEWAR, ARMIGERO,

Quo praelucente, Chirurgiae, et medicamentariae, elementa addidici—hoc opuſculum, animi beneficiorum haud immemoris monumentum, ſacrum eſſe volo.

ROBERTUS MACKEWN HAIG.

To Mr Babosa
with best wishes from
the Author

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

LEGES hujus academiae celeberrimae poſtulant, ut unuſquiſque, honores medicos ambiens, conſcribat, et vulget, aliquam diſſertationem ad medicinam pertinentem: his legibus obtemperaturus rheumatiſmum acutum tentaminis mei argumentum ſelegi.

Haec affectio a cel. Culleno ſic difinitur.

 " Morbus

" Morbus ab externa, et plerumque evi-
" dente caufa; pyrexia; dolor circa arti-
" culos, mufculorum tractum fequens, ge-
" nua et reliquos majores, potius quam pe-
" dum vel manuum articulos, infeftans, ca-
" lore externo auctus."

Variat fede, hinc

1. " In mufculis coxendicis
" Ifchias rheumaticum.
2. " In mufculis thoracis
" Pleuritis fpuria.
3. " In mufculis lumborum
" Lumbago."

Cum nulla definitio quamlibet accurata omnes morbi varietates, et figna, comprehendere poteft; plenam morbi hiftoriam tradere neceffe eft.

Rheumatifmus invadit plerumque vere,

et

et autumno; adoritur homines praeditos temperamento ſanguineo praecipue; idque fere ſemper a pubertate ad annum trigeſimum quintum: nulli ſexui parcit: cel. Home mulieres eodem ſaepius quam viros affici aſſerit.

Mali tentatio eſt varia; modo a ſenſu laſſitudinis, et gravitatis in membris corporis incipit; modo ſenſus frigoris eſt primum ſignum; ſtadium calidum, et caetera indicia pyrexiae, brevi ſubſequuntur: praecipua horum ſignorum ſunt anxietas, ſitis, calor, pulſus frequens, validus, ac durus, inquietudo, reſpiratio anxia, et celeris, appetentia cibi deficiens; porro lingua eſt albida.

Poſtquam pyrexia cum hujuſmodi ſignis plus minus diu, plerumque duos, aut tres, dies, perſtiterit; dolores in variis corporis

partibus

partibus percipiuntur; hi dolores ſunt admodum acuti, et in articulis artuum ſuperiorum praecipue ſentiuntur: ſaepe ſedem mutant; modo quidem unam tantum partem occupant; ſaepius autem articulatim ſecundum muſculorum curſum transvolant; corporis exercitatione et calore externo exaſperantur. Articuli, qui graviſſime plerumque afficiuntur, ſunt genua, coxendix, humerus, cubitus, carpus, et malleolus. Articuli minores, digitorum ſcilicet, et pedum, rarius laborant. Dolores articulorum ante aliquando ſentiuntur, quam pyrexiae ſigna incipiunt.

Signa ſupra memorata veſperi augentur; aeger noctem inſomnis agit: et jam dolores ſedem ſuam frequentiſſime mutant. Articuli poſt aliquod tempus, tument et rubeſcunt; tumor autem et rubor dolorem non ſemper tollunt: plerumque tamen

eundem

eundem minuunt; dolor tamen ſedem ſuam in eodem articulo raro figit: vagari ſolet, donec omnes majores articuli impetum ejus experti fuerint: nec hi tamen novo impetu immunes evadunt.

In nonnullis exemplis ſudor partis etiam ab initio adeſt: non eſt autem copioſus, et raro angorem levat partis, quae rigida, et ſicca plerumque manet. Urina colore rubicundiore exiſtit per totum morbi curſum, nullamque plerumque faecem deponit; aliquando quidem ſedimentum apparet, ſed morbum non ſolvit. Sanguis e vena miſſus cruſtam coriaceam albam oſtendit.

Tempus, quod pyrexia perſtat, varium exiſtit: raro ante diem quintum, ſextum, aut ſeptimum, remittit; et plerumque in duos, aut tres, et interdum plures, ſeptimanas, protrahitur. Articulorum tenſio et do-

lor

lor curſum pyrexiae plerumque ſequuntur; ſed eorundem tumor et rigiditas manent; et partium dolor ac tenſio frigore, licet parvo, admoto, recrudeſcunt.

Jamque generalem rheumatiſmi acuti curſum deſcribere conati ſumus; nonnunquam autem dolores ſunt adeo violentes, ut totum corpus iiſdem affici videatur, et ſubſultus tendinum, aliaque ſigna, quae febres ardentes, et admodum periculoſas, comitari ſolent, ſuperveniant. Hoc autem minime perpetuum eſt.

TERMINATIONES RHEUMATISMI.

Quamvis rheumatiſmus ad phlegmaſias pertinet, vel ſaltem eaſdem multum refert; rariſſime tamen in ſuppurationem, et nunquam forſan in gangraenam, aut ſcirr-

um

um terminatur. Resolutione fere semper finitur. Cel. quidem Storke in opusculo, qui *annus medicus* vocatur, multa rheumatismi exempla suppuratione terminata se vidisse affirmat: Abscessus autem aliquid peculiare habuisse videntur: de iisdem enim agens scribit. " Longo tempore diversa " remedia externa tentavit dominus Haff- " ner; optatam tamen metam attingere non " potuit."

Rheumatismus acutus saepe in vetustum abit; praesertim quando aut neglegitur, aut imperitè tractatur. Nonnunquam quidem, sed raro, in paralysin desinit. Sunt qui hunc morbum interdum ad ventriculum, aliaque viscera migrare putant; non desunt tamen, qui negant hoc, affirmantes ventriculi, aliorumve viscerum, dolores, de quibus agitur, ex podagra provenire: haec quidem sententia probabilis mihi videtur.

Cel.

Cel. Gregory in ſuis praelectionibus pyrexiam adeo ingentem in uno exemplo fuiſſe affirmat, ut vita extincta fuerit. Rariſſime autem morte terminatur. Storke quidem rheumatiſmum exitium omnibus fere phthiſicis, quos invaſerat, attuliſſe ſcribit; his autem aegris vita phthiſeos, potius quam rheumatiſmi effectibus extincta fuiſſe videtur.

CAUSAE REMOTAE.

Hae cauſae a medicis in praediſponentes, et occaſionales, vel excitantes dividuntur. Diatheſis phlogiſtica princeps cauſa praediſponens eſt; nam rheumatiſmus florentem aetatem, regionum frigidarum incolas, et temperamento ſanguineo praeditos, ex quibus rebus diatheſis phlogiſtica potiſſimum pendet, praecipue adoritur; porro vita iners

ac

ac deſes, diaeta nimis plena et ſtimulans, exinanitiones ſolitae, nimirum, halitus cutis, menſes, fonticuli, haemorrhois, ſuppreſſae, et omnia quae plenitudinem corporis augent, cauſis praediſponentibus annumerari debent. Aliae cauſae, quae corpus proclive reddunt, ſunt ea, quae idem juſto irritabilius faciunt; nimius, putà, hydrargyri uſus, calor, frequentes morbi impetus, morbi longi, et exinanitiones nimiae.

Cauſae occaſionales ſunt omnia, quae corpus nimis ſtimulant: horum princeps cauſa eſt frigus, cujus actioni variae res favent; hae res ſunt humor, gradus vel magnitudo frigoris, ſpatium temporis, quod frigus in corpus agit; porro effectus frigoris ſunt majores, quando corpori plus ſatis calenti, vel parti hujus ſingulari, admovetur. Frigus autem, niſi infra gradum ſexageſimum

ſecundum Farenhetii ſit, cauſa rheumatiſmo, ſaltem in his regionibus, excitando, par eſſe non videtur. Quando frigus et humor in corpus juſto calidius ſimul agunt; humor in vaporem ſolvitur, et calor corporis liber mutatur in calorem fixum, ſine quo vapor formari non potuit. "Frigus," ut cel. Gregory ſcribit, "corpori tantum ſtimulo eſt; cum ſatis intenſum eſt, et "ſubito et per breve ſpatium adhibitum "eſt." Quaenam eſt cauſa cur frigus ſingulari corporis parti admotum effectus certius edit, quam cum in totum corpus agit? Aliae ſunt cauſae praeter frigus, quae in corpore proclivi facto rheumatiſmum excitant: hujuſmodi cauſae ſunt medicamenta roborantia, ut cel. Sydenham docet, et omnia quae corpus ultra modum ſtimulant.

DIAG-

DIAGNOSIS.

De morborum natura et diſtinctione, multo frequentius quam de medendi ratione, erratur; neceſſarium eſt igitur, ut medicus morbum, quem ſanare voluerit, ab omnibus aliis ante ſecernat, quam ejuſdem curationem ſuſcipiat.

Praecipuae affectiones, quibus rheumatiſmus intermiſceri poteſt, ſunt podagra, ſyphilis, ſcorbutus, pleuritis, arthrodynia, arthropuoſis, nephritis, et dolores, qui vulgo appellantur nervoſi.

Si autem indicia, ſingulorum horum morborum propria, rite perpendamus; diſcrimina eoſdem inter et rheumatiſmum plerumque ſatis facile invenientur.

Quamvis

Quamvis magna ſimilitudo podagram inter et rheumatiſmum intercedit; plurimis tamen rebus ſatis manifeſtis differunt: primò enim cauſae ſunt diverſae; nam rheumatiſmus a cauſa plerumque evidente, frigore, nimirum, et humore, oritur; podagra plerumque ex labe haereditaria pendet; et affectiones internarum partium, praecipue ventriculi, veluti flatus, ructus modo acidi, modo inſipidi, cum nauſea, aliiſque dyſpepſiae ſignis, podagrae tentationem praecedunt: haec indicia ſaepe evaneſcunt, cum paroxyſmus inſtat, et aeger melius ſolito ſe habet; quae res nunquam fere in rheumatiſmo eveniunt. In rheumatiſmo pyrexia plerumque dolorem praeit; in podagra autem dolor eſt plerumque primum ſignum. In rheumatiſmo dolor articulos plures et majores ſimul occupat; in podagra vero unicum tantum, et plerumque

pedis

pedis pollicem, certè pedum ac manuum juncturas minores potiſſimum infeſtat. Dolor in rheumatiſmo ſedem ſuam ſaepius quam in podagra mutat; in podagra dolor cum ventriculi vel aliarum partium internarum affectionibus alternat, quod ſignum rheumatiſmum minime comitatur. Rheumatiſmus a pubertate ad annum trigeſimum quintum plerumque invadit; podagra plerumque poſt hanc aetatem ſe oſtendit. Podagra ſaepius infeſtat viros; rheumatiſmus mulieres frequentius torquet: porro temperamenta diverſa eſſe feruntur: rheumatiſmus enim temperamentum ſanguineum petit; ſed podagra temperamentum cholerico-ſanguineum praecipue afficit. Aliae quidem notae, quibus hi morbi diſtinguantur, afferri poſſent, ſed jam allatae ſatis mihi videntur.

Syphilidis

Syphilidis et rheumatiſmi acuti ſigna ſunt quoque ſimilia; dolores vero in ſyphilide media et duriſſima oſſa infeſtant; dum in rheumatiſmo acuto oſſa extrema, vel articulos, occupant, et muſculorum tractum ſequuntur: porro quando dolores ex lue venerea pendent, alia ſigna hujus mali praecedunt, vel comitantur; haec ſigna ſunt bubones, ulcera tonſillarum, et cutis, praeſertim ad marginem capillitii, papulae corymboſae in cruſtas, et in ulcera cruſtoſa abeuntes, exoſtoſes, tophi, ac nodi. Et denique in ſyphilide pars tactu non dolet; ut ſemper fit in rheumatiſmo acuto.

Scorbutum diſtinguunt cauſae remotae, veluti regiones frigidae, diaeta putrida, praeſertim carnes ſale nimio conditae; et ſigna quoque, aſthenia ſcilicet, ſtomacace, et maculae diverſi coloris, plerumque liveſcentes,

tes, praeſertim ad pilorum radices, quae res nunquam ſe in rheumatiſmo oſtendunt.

Rheumatiſmus afficiens muſculos inter coſtas ſitos pleuritidi confundi poteſt; ſed hi morbi animum ad ſequentia advertendo diſtingui poſſunt; in hac enim rheumatiſmi varietate partes externae tactu dolent, et nonnunquam tument, et rubent; et nulla tuſſis plerumque adeſt; vel ſi forte adſit, ſicca perſtat; haec autem omnia in pulmonitide admodum diverſa ſunt:

Arthrodynia a rheumatiſmo ſatis facile ſecernitur: illa enim huic ſupervenire ſolet, porro artuum dolores ſub motu praeſertim ſentiuntur, et augentur: calore lecti, vel alio externo levari ſolent; et artus ſunt debiles, rigidi, et ſaepe ſponte frigeſcunt: nec ulla pyrexia, neque tumor plerumque, adſunt. Hae autem res in rheumatiſmo

matiſmo acuto, ut ex morbi definitione manifeſto patet, longe diverſae ſunt.

Iſta rheumatiſmi varietas, quae iſchias rheumatica vocatur, cum arthropuoſi confundi poteſt; hanc autem dolores profundi, diuturni, et obtuſi, comitantur, nec adeſt phlogoſis; porro pyrexia, quae non, niſi morbo provecto, ſe oſtendit, eſt primum lenis, et huic febris hectica cum apoſtemate tandem ſupervenit; ſigna autem iſchiadis acutae ſunt admodum diverſa.

Eſt alia rheumatiſmi varietas, quae cum nephritide intermiſceri poteſt; haec varietas lumbago appellatur: ſequentibus indicibus dignoſci poteſt; nauſeâ, vomitu, mictione frequente urinae vel tenuis decoloris, vel ruberrimae; cruris ſtupore, teſticuli ejuſdem lateris retractione, aut dolore: ſaltem plura horum cum pyrexia acuta nephritis fere ſem-

per

per comites habet: nulla autem fere hujuſmodi indicia lumbaginem comitantur: porro haec nulla plerumque pyrexia acuta inſignitur: et hoc forſan peculiare habet, quod corpus multo difficilius antrorſum inclinatur quam in nephritide; denique nephritis eſt rarus morbus, et aetatem provectam multo ſaepius adoritur, quam ſolet lumbago.

Dolores, qui vulgo vocantur nervoſi, a rheumatiſmo acuto facile ſecerni poſſunt; quia illi alia ſigna neuroſium comites plerumque habent.

CAUSA PROXIMA.

Cauſae proximae omnium fere morborum adhuc latent: nulla licet exiſtat forſan artis medendi pars, quae ſaepius et acrius

a medicinae ſtudioſis agitatur; et de qua magis delirant: ſententias igitur clariorum tantum medicorum memorabo; Boerhavius ſpiſſitudinem et lentorem pro cauſa hujus morbi proxima habuit; alii aliquam humorum acrimoniam eſſe illam cauſam opinati ſunt. Cullenus ambas iſtas ſententias falſas, eſſe probavit; aliamque ſuam, quam pro illa cauſa multum deſiderata habuit, ſuffecit. Poſuit ſpaſmum vaſorum extremorum ita obſtare curſum ſanguinis, ut actio vaſorum partis et impetus ſanguinis multum neceſſariè intendantur: deinde adjecit, vires naturae medicatrices confugere ad pyrexiam, ut vaſorum ſpaſmus, et ſanguinis congeſtus tollerentur; fibraſque muſculoſas in rheumatiſmo praeter naturam rigidas fieri addidit: cel. auctor ſe ex his principiis ſignorum, quibus rheumatiſmus comitatur, rationem reddere putat. Haec omnia videntur mihi parum certa: qualiſ-

cunque

cunque autem cauſa proxima fuerit; per quam intelligo illam corporis conditionem, ex qua ſigna pendent, probabile mihi videtur acutum rheumatiſmum haud ſemper oriri ex nimio fibrarum muſculoſarum robore, ut clari auctores ſtatuerunt; nam ex nonnullis nec paucis quidem cauſis, quae homines rheumatiſmo opportunos reddunt, veriſimile videtur plenitudinem, et laxitatem cum mobilitate conjunctam, non raro eſſe illum ſyſtematis ſtatum, ex quo morbi indicia originem trahunt. Hinc ratio forſan reddi poteſt, quare rheumatiſmus acutus modò optime ſanatur medicamentis roborantibus, cinchona ſcilicet officinali, modò vero contrariis remediis, omnibus nempe, quae vim cordis et arteriarum minuunt.

PROG-

PROGNOSIS.

Experientia rheumatiſmum raro eſſe lethalem ſatis docuit: non deſunt quidem exempla morbi infauſta; haec autem aliam corporis conditionem immedicabilem, phthiſin, putâ, typhum, aliaſve affectiones periculoſas, comites habuerunt. Rheumatiſmus haud facile quidem medicamentis ſanatur; et quoties negligitur, aut imperitè tractatur, in arthrodyniam, anchyloſin diram, aut paralyſin immedicabilem, deſinit. Sunt qui dicunt rheumatiſmum nonnunquam adoriri pulmonem, et etiam caput aliquando; et hoc modo tollere aegrum apoplexiâ, vel pulmonitide, ſuperveniente; hi autem caſus inauſpicati ex podagra potius pendere videntur. Rheumatiſmus naſcens facile quidem opprimitur; inveteratus

autem

autem robuſtior fit; praeſertim ſi aeger admodum debilitatus fuerit, et morbus diu perſtiterit: in hujuſmodi exemplis judicium de morbi eventu cautum ſit oportet. Cùm autem aetate florentem, et alioquin ſanum, adoritur, prognoſis fauſta erit, ſi idonea remedia, morbo fere ineunte, dentur. Nonnulli rheumatiſmum aliquamdo in ſcirrum abire dicunt; hoc autem nunquam vidi, et terminatio rariſſima ſit oportet: idem dici poteſt de gangraena, in quam fere nunquam deſinit. Morgagni facit mentionem exempli rheumatiſmi in quo muſculi ſacro-lumbalis et quadrati lumborum, colorem fuſcum induerunt, et mirabiliter laxi, et flexiles evaſerunt *.

* De ſed. et cauſ. morb. Epiſt. LVII. p. 17.

RATIO

RATIO MEDENDI.

Morbi cauſis et ſignis conſideratis, nemo dubitare poteſt, quin rheumatiſmus acutus haud parum inflammationis habeat: medendi igitur ratio ſe quaſi ſponte dividit in duo conſilia ſequentia;

1*mo*, Diatheſin phlogiſticam totius corporis, et praeſertim partium inflammatarum tollere.

2*do*, Spaſmum ſolvere.

Primum conſilium abſolvitur regimine antiphlogiſtico, ſanguinis detractione, alvi purgatione, et refrigerantibus medicamentis, de quibus ſigillatim paucis tractabimus.

Regimen

Regimen antiphlogiſticum nihil aliud eſt quam evitatio et imminutio omnium ſtimulantium, quae in corpora noſtra fere ſemper agunt; horum irritamentorum praecipua ſunt calor, exercitatio corporis et animi, cibus, potus, ſitis, alvi durities.

Calor igitur cubiculi, in quo aeger decumbit, modicus eſſe debet, temperies forſitan aëris media, et ſitus corporis, in quo pauciores muſculi exercentur, anteponendi ſunt: omneſque animi motus, praeſertim affectus excitantes, vitari debent, et caute ſimul abſtinendum erit a cibo ex carnibus parato, et omnibus liquoribus ſpirituoſis ac fermentatis: diluentia mitia ac refrigerantia ad ſitim reſtinguendam dari neceſſe eſt: cavendum quoque ne ventriculus oneretur quibuſvis ingeſtis, aut inteſtina faecibus diutius retentis ſtimulentur, et opprimantur. Urgente diatheſi phlogiſticâ, nulla

diaeta

diaeta praeter ptiſanam, aut hujuſmodi potum mitem, concedi debet.

Nullum quidem exiſtit remedium, quo diatheſis phlogiſtica citius aut efficacius tollitur, quam ſanguinis ſub morbi initium detractio, quae copioſa et iterata adhiberi debet: commodum, quod hoc auxilium affert, erit eo majus, quo citius ſanguis ex vena effluxerit; ex oſtio magno igitur mitti debet: periti bene norunt parvam ſanguinis quantitatem hoc modo extractam multo magis ad diatheſin phlogiſticam tollendam valere, quam magnam copiam tarde detractam. Si poſt paucas horas elapſas pyrexia, et alia ſigna non mitigantur, ſanguis iterum detrahatur oportet. Quoad quantitatem detrahendam, nulla quidem regula generalis tradi poteſt: ſequentia autem attente perpenſa plerumque docebunt quoties, quantumque ſanguis

detrahi

detrahi debet: haec ſunt aetas, ſexus, vires, plenitudo, ac temperamentum, aegroti, doloris magnitudo, arteriarum percuſſus, uſuſque hujus exinanitionis plus minus frequens. Quamvis autem detractio ſanguinis eſt optimum remedium; ſolicitè cavendum erit, ne juſto ſaepius, aut copioſius, detrahatur; horrendi enim morbi uſui hujus remedii nimio ſupervenire ſolent: quales ſunt hydrops, arthrodynia, et debilitas immedicabilis, &c. Cum juſta ſanguinis copia e brachio detracta fuerit, exinanitiones ex partibus dolentibus cum fructu fieri poſſunt: hae nocent multo minus quam detractiones generales; hirudines hoc conſilio commodius adhiberi poſſunt: ſi tenſio tumor calor et rubor partium laborantium ſint inſignes, ſanguis ſic miſſus magnum commodum afferre ſolet.

Medicamenta refrigerantia, et cathartica

quoque ad diatheſin phlogiſticam debellandam adhiberi ſolent. Inter refrigerantia medicamenta optima ſunt acida frugum nativa aquâ diluta; ſitim reſtinguunt, corpus refrigerant, omnes excretiones promovent, et aegro gratiſſima exiſtunt. Cathartica mitiora, et illa praeſertim quae corpus refrigerant, et parum ſtimulant, ſeligenda ſunt: ſoda tartariſata, ſodo phoſphorata, et cryſtalli tartari, gratiſſima videntur; motum cordis et arteriarum minuunt et tardum reddunt, et halitum cutis leniter promovendo, ſpaſmum ſuperficiei tollunt. Hic autem loci obſervandum eſt cathartica non eſſe remedia omni morbi exemplo accomodata; quando enim pyrexia, et caetera ſigna, vehementiora ſunt, et corpus nullum fere motum ſine magno cruciatu ferre poteſt, reverà nocent motu, quem neceſſariè efficiunt. Enemata refrigerantia, manna, tamarindi fructus, et tartarum modica quan-

titate

titate ſumptum, hîc in plenae alvi purgationis locum ſubſtitui debent, et omnino neceſſaria ſunt ad alvum modicè ſolutam tenendam, ne quid irritationis e faecibus diutius retentis oriatur.

Diatheſi phlogiſtica auxiliis ſupra dictis ſublata, ad ſecundum conſilium, ſpaſmum, nimirum, ſolvere, devenimus. Hoc perficitur medicamentis, quae ſudorem copioſum, et quam minimum ſimul caloris moveant. Medicamentum, quod huic fini optimè reſpondet, eſt pulvis ipecacuanhae compoſitus. Cum ſudor quam leniſſime excitari debet, prudens medicus non incipiet a doſi pulveris magna: grana decem, aut circiter, erunt doſis ſatis magna; haec doſis iterari debet omni fere hora, donec ſudor prorumpat; pulvis hoc modo datus raro vomitu rejicitur, et, in omni fere exemplo, modo fotus ſimul artubus inferiori-

bus

bus admoveatur, optandos edit effectus. Antequam pulvis detur, aeger decumbere debet in lecto, cujus ſtragula ſunt lanea: haec enim ſudorem imbibunt, et retinent; dum lintea brevi madida, et frigida, fiunt, quae res ſudori obſtat. Cullenus aliique medici ſuadent, ut pulvis bene mane adminiſtretur; quia, ut dicunt, omnes ſecretiones ſomno minuuntur; aegerque, eique famulantes, noctu obdormiſcere ſolent; hinc potus, ſine quo ſudor fluere nequit, negligitur. Sudore moto, diluentia tepida, et minime calefacientia, aut ſtimulantia, liberaliter adminiſtrari neceſſe eſt. Hauſtus ex julapii ſalini uncia, cum tincturae opii et vini ipecacuanhae, ſingulorum, guttis circiter viginti, tertia quaque hora omni nocte datus, ad ſudorem promovendum et dolores conſopiendos haud parum facit. Quoad tempus, quod ſudor perſtare debet; hoc ex aegrotantis viribus, et dolorum mitigatione,

tione, pendeat oportet: in plerifque autem exemplis per horas plus minus triginta protrahi poteft. Vomitoria leniter naufeofa, diathefi phlogifticâ fublatâ, cum fructu adhiberi queant; alvum enim plerumque laxant, halitum cutis promovent, et pyrexiam minuunt; huic fini optime forfan refpondebit vinum antimonii tartarifati.

Veficatoria prodeffe folent, modo dolores fint fixi, et imponantur, antequam pyrexia gravis fiat: fi autem applicantur, hac faeviente, doloribufque articulatim vagantibus, nihil boni inde fperandum.

Morbo his remediis fublato, talis eft corporis conditio, ut arthrodyniae maxime opportunum fiat: ab hoc diro malo fummâ curâ, diaetâ idoneâ, et caufarum excitantium evitatione caveri debet. Diaeta blanda ex farraceis et lacte praecipue conftans,

unam

unam alteramve ſeptimanam continuata commendatur a cel. Sydenham. Alii peritum frigidarii uſum laudant.

Denique cel. Saunders cinchonam officinalem in rheumatiſmo acuto poſt diatheſin phlogiſticam ſauguinis detractione, aliiſque exinanitionibus, ſublatam, enixè commendat. Pyrexiam hac ratione plerumque citius terminari, articulorumque debilitati et rigiditati, et arthrodyniae etiam, plerumque occurri, nobis confirmat *.

* Saunder's Obſervations on the Red Peruvian Bark in the cure of agues and fevers, &c.

FINIS.